

soli[us] solliciti sunt causa ut me unum expleant?  
 ancillae tot me vestient? sumptus domi  
 tantos ego solu' faciam? sed gnatum unicum,  
 80 quem pariter uti his decuit aut etiam amplius,  
 quod illa aetas magis ad haec utenda idoneast,  
 eum ego hinc eieci miserum iniustitia mea!  
 malo quidem me dignum quovis deputem,  
 si id faciam. nam usque dum ille vitam illam colet  
 85 inopem carens patria ob meas iniurias,  
 interea usque illi de me supplicium dabc  
 laborans parcens quaerens, illi serviens."  
 ita facio prorsu': nil relinquo in aedibus  
 nec vas nec vestimentum: conrasi omnia.  
 90 ancillas servos, nisi eos qui opere rustico  
 faciendo facile sumptum exsercirent suom,  
 omnis produxi ac vendidi. inscripsi ilico  
 aedis mercede. quasi talenta ad quindecim  
 140 coegi: agrum hunc mercatu' sum: hic me exerceo.  
 95 decrevi tantisper me minus iniuriae,  
 Chreme, mēō gnato facere dum fiam miser;  
 nec fas esse ulla me voluptate hic frui,  
 nisi ubi ille huc salvo' redierit meu' particeps.  
 145 CH. ingenio te esse in liberos leni puto,  
 100 et illum obsequentem siqui' recte aut commode  
 tractaret. verum nec tu illum sati' noveras  
 nec tē ille; hoc qui fit? ubi non vere vivitur.  
 tu illum numquam ostendisti quanti penderes  
 150 nec tibi illest credere ausu' quae est aequom patri.

130

135

140

145

150

155